Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 739
Quelle:
Copyright:

bach czehen Mark, cze Landeſtraz czehen Mark) confirmat, et Hoſpitum receptiones, pernoctationesque in Coenobio prohibet, dum Res ejus familiaris denuo recreetur. Data: *cze Laubach Anno Domini* MCCLXXVII.

Finem facit Regimen contra Peſtilentiam miſſum, ut praefertur, a graecis Magiſtris *auz Saligñ*, quod fortaſſe corruptum dicas e *Salerno*, famoſa illa Medicorum Schola. Omnia haec idiomate germanico.

CCCXL.

R. 2230 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 169. f. maj. per duas columnas commode ſcriptus, coloribus diſtinctus, et quondam Bibliothecae Epiſcopat. *Neoſtadienſis* continet D. *Aur. Auguſtini de Civitate Dei contra Paganos Libros* XXII. Initium facit: *Sententia de ſecundo libro retractationum* (c. 43.) *beati auguſtini in libro de ci. dei.* quemadmodum etiam in Edit. *Maur. Pariſ.* T. VII. 1685. f. antecedit, ſed cum ibi legitur: *Interea Roma — everſa eſt, cujus everſionem* &c. nos habemus: *Interea cum Roma — everſa eſt, ejus everſionem* &c. non ſane pejus. Sequitur: *Incipit prologus in librum de ciui. dei contra paganos.* Ita: *Glorioſiſſimam ciuitatem dei ſive in hoc temporum curſu* &c. Tum Liber I. *Ex hac namque ciuitate exiſtunt* &c. Capitibus Librorum omnium praeſcripta ſunt minio argumenta eadem, quae in Editionibus leguntur, et in fine Codicis denuo ex iis confectus eſt Syllabus. Lectio ſatis proba eſt, et Opus integrum. Ad calcem accedit *Declaratio quorundam ambiguorum in libro de ci. dei poſitorum*, et primo quidem, quae *Auguſtinus* L. XIII. c. 16. e *Timaeo Platonis* a *Cicerone* latine verſa citat, e verſione *Chalcidii* repraeſentantur, dein ſuccedunt mera grammatica levis momenti v. g. *Ignis et plurima hujusmodi accuſativum pluralem in* es *uel in* is *indifferenter faciunt.* Finem facit hic luſus:

Sis celi civis, gaudenter vivere ſi vis.
Chriſti paſſi vis tibi donet vivere vivis.

CCCXLI.

R. 2235 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 291. f. max. per duas columnas eleganter exaratus, rubricis et florente initii Litera picturata decorus, olimque ejusdem Bibliothecae aliud Exemplar eſt praecedentis Operis; hic vero Locum e L. II. *Retract.* ſequitur Syllabus Librorum et Capitum. Cetera ejusdem rationis ſunt, neque deeſt ad calcem *Declaratio ſupracit.* quamvis Inſcriptione careat.

CCCXLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 174 Folior. 400. f. per duas columnas